

poris; unde non habet virtutem ut possit illuminare diaphanum, quod tamen faceret lux pura. Ex quo etiam patet, quod cum lux sit quodammodo substantia coloris, ad eam reducitur omne visibile actu. Nec oportet, quod color per lumen extrinsecum fiat actu visibilis. Quod autem colores illuminati videntur ab eo qui est in obscuro, contingit ex hoc, quod medium illuminatur, et hoc sufficit ad visus immutationem.

OPUSCULUM XVII.

DE AETERNITATE MUNDI CONTRA MURMURANTES

(EDIT. ROM. XXVII.)

Supposito secundum fidem catholicam, mundum ab aeterno non fuisse, sicut quidam philosophi errantes posuerunt, sed quod mundus durationis initium habuerit, sicut Scriptura sacra, quae falli non potest, testatur; dubitatio mota est, utram potuerit semper fuisse. Cujus dubitationis ut veritas explicetur, primo distinguendum est quid est in quo cum dicentibus contrarium convenimus, et quid est illud in quo ab eis differimus. Si enim intelligatur quod aliquid praeter Deum potuerit semper fuisse, quasi possit esse aliquid aeternum praeter eum, ab eo non factum: error abominabilis est non solum in fide, sed etiam apud philosophos, qui confitentur et probant quod omne quod est quoquo modo, esse non possit nisi causatum ab eo qui maxime et verissime habet esse. Si autem intelligatur aliquid semper fuisse, et tamen causatum a Deo secundum totum quod in eo est: videndum est utrum hoc possit stare. Si autem dicatur hoc impossibile; vel hoc dicatur quia Deus non potuit facere aliquid quod semper fuerit, aut quia non potuit fieri, etiam si Deus posset facere. In prima autem parte omnes consentiunt: scilicet in hoc quod Deus potuit facere aliquid quod semper fuerit, considerando potentiam ipsius infinitam. Restat igitur videre, utrum possibile sit aliquid fieri quod semper fuerit. Si autem dicatur quod hoc non potest fieri; hoc non potest intelligi nisi duobus modis, vel duas causas veritatis habere: scilicet vel propter remotionem potentiae passivae, vel propter repugnantiam intellectuum. Primo modo posset dici, quod antequam Angelus sit factus, non poterat Angelus fieri, quia non praecessit ad eum esse aliqua potentia passiva, cum non sit factus ex materia praejacenti; tamen Deus poterat facere Angelum, et poterat facere ut Angelus fieret, quia fecit, et factus est. Sic ergo intelligendo, simpliciter concedendum est secundum fidem, quod non potest causatum a Deo semper esse: quia hoc ponere esset ponere potentiam passivam semper fuisse; quod haereticum est. Tamen ex hoc non sequitur quod Deus non possit facere ut fiat semper aliquid ens. Secundo modo dicitur per repugnantiam intellectuum aliquid non posse fieri, sicut non potest fieri ut affirmatio et negatio sint simul vera; quamvis Deus hoc possit facere, ut quidam dicunt. Quidam vero dicunt, quod nec Deus potest hujusmodi facere, quia

hoc nihil est. Tamen manifestum est quod non potest facere ut hoc fiat, quia positio qua ponitur esse, destruit se ipsam. Si tamen ponatur quod Deus huiusmodi potest facere ut fiat; positio non est haeretica, quamvis, ut credo, sit falsa, sicut quod praeteritum non fuerit includit in se contradictionem. Unde Augustinus in libro contra Faustum: "Quisque ita dicit: Si omnipotens est Deus, faciat ut quae facta sunt, facta non fuerint: non videt hoc se dicere: Si omnipotens est, faciat ut ea quae vera sunt, eo ipso quod vera sunt, falsa sint." Et tamen quidam magni pie dixerunt, Deum posse facere de praeterito quod non fuerit praeteritum: nec fuit reputatum haereticum. Videndum est ergo, utrum in his duobus sit repugnantia intellectuum, quod aliquid sit causatum a Deo, et tamen semper fuerit. Et quidquid de hoc verum sit, non erit haereticum dicere: quia hoc potest fieri a Deo ut aliquid causatum a Deo semper fuerit. Tamen credo quod si esset repugnantia intellectuum, esset falsum. Si autem non est repugnata intellectuum, non solum est falsum, sed etiam est impossibile aliter esse, et erroneum, si aliter dicatur. Cum enim ad omnipotentiam Dei pertineat ut omnem intellectum et virtutem excedat, expresse omnipotentiae derogat qui dicit aliquid posse intelligi in creaturis, quod a Deo fieri non possit. Nec est instantia de peccatis, quae inquantum huiusmodi, nihil sunt.

In hoc ergo tota consistit quaestio, utrum esse creatum a Deo secundum totam substantiam, et non habere durationis principium, repugnet ad invicem, vel non. Quod autem non repugnet, sic ostenditur. Si enim repugnet, hoc non est nisi propter alterum duorum, vel propter utrumque: aut quia oportet ut causa agens praecedat duratione; aut quia oportet quod non esse praecedat esse duratione, propter hoc dicitur creatum a Deo ex nihilo fieri. Primo ergo ostendendum, quod non est necesse, ut causa agens, scilicet Deus, praecedat duratione suum causatum, si ipse voluisset.

Primo sic. Nulla causa producit effectum suum subito, necessario praecedit effectum suum duratione. Sed Deus est causa producit effectum suum non per motum, sed subito. Ergo non est necessarium quod duratione praecedat effectum suum. Primum patet per inductionem in omnibus mutationibus subitis, sicut est illuminatio et huiusmodi. Nihilominus potest probari per rationem sic. In quocumque instanti ponitur res esse, potest poni principium actionis ejus, ut patet in omnibus generabilibus: quia in illo instanti in quo incipit ignis, incipit esse calefactio. Sed in operatione subita, simul, immo idem est principium et finis ejus, sicut in omnibus indivisibilibus. Ergo in quocumque instanti ponitur agens producit effectum suum subito, potest poni terminus actionis suae.

Sed terminus actionis est simul cum ipso facto. Ergo non repugnat intellectui, si ponatur causa producit effectum suum, subito non praecedere duratione causatum suum. Repugnaret autem in causis producentibus effectus suos per motum: quia oportet quod principium motus praecedat finem ejus. Et quia homines consuevi sunt considerare huiusmodi factiones quae sunt per motum; ideo non facile capiunt, quod causa agens duratione effectum suum non praecedat. Et inde est quod multorum inexerti ad pauca respicientes emittant facile.

Nec potest huic rationi obviari, quia Deus est causa agens per voluntatem: quia non est necessarium quod voluntas praecedat duratione effectum suum, nec agens per voluntatem, nisi per hoc quod agit ex deliberatione; quod absit ut in Deo ponamus.

Praeterea. Causa producit totam rei substantiam, non minus potest in produciendo totam substantiam, quam causa producit formam in productione formae: immo multo magis; quia non producit educendo de potentia materiae, sicut est in eo, qui producit formam. Sed aliquid agens quod producit solum formam, potest in hoc ut forma ab eo producta sit quandocumque ipsum est, ut patet in sole illuminante. Ergo multo fortius Deus, qui producit totam rei substantiam, potest facere ut causatum suum sit quandocumque ipse est.

Praeterea. Si aliqua sit causa, qua posita in aliquo instanti non possit poni effectus ejus ab ea procedens in eodem instanti, hoc non est, nisi quia illi causae deest aliquid de complemento: causa enim completa et causatum sunt simul. Sed Deo nunquam deficit aliquid de complemento. Ergo causatum ejus semper potest poni, eo posito; et ita non est necessarium quod duratione praecedat.

Praeterea. Voluntas volenti nihil minuit de virtute ejus, et praecipue in Deo. Sed omnes solventes ad rationes Aristotelis, quibus probatur res semper fuisse a Deo, per hoc quod idem semper facit idem, dicunt, quod hoc sequeretur, si non esset agens per voluntatem. Ergo et si ponatur agens per voluntatem, nihilominus sequitur quod non potest facere ut causatum ab eo nunquam non sit.

Et ita patet quod non repugnat intellectui, quod dicitur causa agens non praecedere effectum suum duratione; quia in illis quae repugnant intellectui, Deus non potest facere ut illud sit. Nunc restat videre, an repugnet intellectui aliquid factum nunquam non fuisse propter hoc quod necessarium sit non esse ejus, esse duratione praecedere, propter hoc quod dicitur ex nihilo factum esse. Sed quod hoc in nullo repugnet, ostenditur per dictum Anselmi in Monologio, cap. 8, exponitibus quomodo creatura dicatur facta ex nihilo. "Tertia," inquit,

“interpretatio, qua dicitur aliquid esse factum ex nihilo, est cum intelligimus esse quidem factum, sed non esse aliquid unde sit factum. “Per similem significationem dici videtur, cum tristatur sine causa, dicitur contristatus de nihilo. Secundum igitur hunc sensum, si intelligatur quod supra conclusum est, quia praeter summam essentiam cuncta quae sunt ab eadem, ex nihilo facta sunt, idest non ex aliquo: nihil inconueniens sequetur. Unde patet quod secundum hanc expositionem non ponitur aliquis ordo ejus, quod factum est ad nihil, quasi oportuerit prius quod factum est, nihil fuisse, et postmodum aliquid esse. Praeterea, supponatur quod ordo ad nihil in propositione importatus remaneat affirmatus, ut sit sensus, creatura facta est ex nihilo, idest facta est post nihil: haec dictio “post,” ordinem importat absolute. Sed ordo multiplex est: scilicet durationis et naturae. Si igitur ex communi et generali non sequitur proprium et particulare, non erit necessarium, ut propter hoc quod creatura esse post, nihil dicitur, prius duratione fuerit nihil, et postea fuerit aliquid: sed sufficit, si prius natura sit nihil, quam ens; prius enim inest unicuique naturaliter quod convenit sibi in se, quam quod solum ex alio habet. Esse autem non habet creatura nisi ab alio; sibi autem relicta in se considerata nihil est: unde prius naturaliter inest sibi nihil, quam esse. Nec oportet quod propter hoc sit simul nihil et ens, quia duratione non praecessit: non enim ponitur, si creatura semper fuit, ut in aliquo tempore nihil sit: sed ponitur, quod natura ejus est talis quod esset nihil, si sibi relinqueretur; ut si dicamus aerem semper fuisse illuminatum a sole, oportebit dicere, quod aer est factus lucidus a sole. Et quia omne quod fit, ex incontinenti fit, idest ex eo quod non contingit simul esse cum eo quod dicitur fieri; oportebit dicere quod sit factus lucidus ex non lucido, vel tenebroso; non ita quod nunquam fuerit non lucidus vel tenebrosus, sed quia esset talis, si sibi soli relinqueretur. Et hoc expressius patet in stellis et orbibus qui semper illuminantur a sole. Sic ergo patet quod in hoc quod dicitur, aliquid factum esse a Deo et nunquam non fuisse, non est intellectus aliqua repugnancia. Si enim esset aliqua repugnancia, mirum est quomodo Augustinus eam non vidit; quia haec efficacissima via esset ad improbandum aeternitatem mundi, cum tamen ipse multis rationibus impugnet aeternitatem mundi in 11 et 12 de civ. Dei. Hanc autem unde omnino praetermittit? Quinimmo innuere videtur quod non sit ibi repugnancia intellectuum: unde dicit 10 de civ. Dei, cap. 81 de Platonis loquens: “Id quomodo intelligant, viderint non esse hoc videlicet temporis, sed substitutionis initium. Sicut enim, inquit, si pes semper ex aeternitate fuisset in pulvere, semper ei subesset vestigium,

quod tamen vestigium ex calcatis factum nemo dubitaret: nec alterum altero prius esset, quamvis alterum ab altero factum esset; sic inquit et mundus et dii in illo creati semper fuerunt, semper existente eo, qui fecit, et tamen facti sunt. Nec unquam dicit hoc non posse intelligi: sed alio modo procedit contra eos. Item dicit 11 lib., 4 cap: “Qui autem a Deo quidem factum mundum fatentur, non tamen eum temporis volunt habere, sed suae creationis initium, ut modo quodam vix intelligibili semper sit factus; dicunt quidem aliquid, unde sibi Deum videntur velut a fortuita temeritate defendere. Causa autem quare vix est intelligibilis, tacta est prima ratione. Mirum est etiam quomodo nobilissimi philosophorum hanc repugnantiam non viderunt. Dicit enim Augustinus in eodem lib. cap. 5, contra illos loquens de quibus in praecedenti auctoritate facta est mentio. “Cum his enim agimus, qui etiam Deum incorporeum et omnium naturarum quae non sunt quod ipse creatorem nobiscum sentiunt; de quibus postea subdit: “Isti Philosophi ceteris nobilitate atque auctoritate vicerunt. Et hoc etiam patet diligenter consideranti dictum eorum qui posuerunt mundum semper fuisse: quia nihilominus ponunt eum a Deo factum, nihil de hac repugnancia intellectuum sentientes. Ergo illi qui tam subtiliter eam percipiunt, soli sunt homines, et cum eis oritur sapientia.

Sed quia quaedam auctoritates videntur pro eis facere, ideo ostendendum est, quod praesentiam eis debile fundamentum. Dicit enim Damascenus in lib. 1, cap. 8: “Non aptum natum est quod ex non ente ad esse deducitur, coaeternum esse ei quod sine principio est et semper est. Item Hugo de sancto Victore in principio lib. sui de Sacramentis dicit: “ineffabilis omnipotentiae virtus non potuit aliquid praeter se habere coaeternum, quo in faciendo iuaretur. Sed harum auctoritatum et similium intellectus per hoc patet quod Boetius dicit ult. de consolatione: “Non recte quidam, cum audiunt visum Platoni mundum hunc nec habuisse initium temporis, nec habiturum esse defectum, hoc modo conditori conditum mundum fieri coaeternum putant. Aliud enim est per interminabilem duci vitam, quod mundo Plato tribuit; aliud interminabilis vitae totam pariter complexam esse praesentiam, quod divinae mentis proprium esse manifestum est. Unde patet quod etiam non sequitur quod quidam obijciunt, scilicet quod creatura aequaretur Deo in duratione; et quod per hunc modum dicitur, quod nullo modo potest esse aliquid coaeternum Deo, quia nihil scilicet potest esse immutabile nisi solus Deus: quod patet per hoc quod dicit Augustinus, 12 de civit. Dei, cap. 15: “Tempus quoniam mutabiliter transcurrit, aeternitati immutabili non potest esse coaeternum. Ac per hoc etiam si immortalitas Angelorum non transit in tempore, nec praeterita est quasi jam non sit, nec

futura quasi nondum sit; tamen eorum motus, quibus tempora peraguntur in futuro, in præteritum transeunt. Et ideo Creatori, in cuius motu dicendum non est vel fuisse quod jam non sit, vel futurum esse quod nondum sit, coæterni esse non possunt. Similiter etiam dicit 8 super Gen.: "Quia omnino immutabilis est illa natura Trinitatis, ob hoc ita æterna est, ut ei aliquid coæternum esse non possit." Et similia verba dicit in 11 lib. Confessionum.

Adducunt etiam pro se rationes quas etiam Philosophi tetigerunt et eas solverunt: inter quas illa est difficilior quae est de infinitate animarum: quia si mundus semper fuit, necesse est modo infinitas animas esse. Sed hæc ratio non est ad propositum; quia Dens mundum facere potuit sine hominibus et animabus; vel tunc etiam potuit hominem facere quando fecit, si etiam totum alium mundum fecisset ab æterno; et sic non remaneret post corpora animæ infinitæ. Et præterea adhuc non est demonstratum, quod Deus non possit facere ut sint infinita actu.

Aliæ etiam rationes sunt a quarum responsione supersedeo ad præsens, tum quia eis alibi responsum est, tum quia quedam earum sunt ita debiles quod sua debilitate contrariæ parti videntur probabilitatem afferre.

OPUSCULUM XVIII.

DE PRINCIPIIIS NATURÆ

(Err. Rom. XXXI.)

Quoniam quoddam potest esse, licet non sit, quoddam vero jam est; illud quod potest esse et non est, dicitur esse potentia; illud autem quod jam est, dicitur esse actu. Sed duplex est esse: scilicet esse essentialē, sive esse substantiale rei, ut hominem esse; et hoc est esse simpliciter. Est autem aliud esse accidentale, ut hominem esse album; et hoc est esse secundum quid. Ad utrumque autem esse est aliquid in potentia: aliquid enim est in potentia ut sit homo, ut sperma et sanguis menstruus; aliquid in potentia ut sit album, ut homo; tamen illud quod est in potentia ad esse accidentale, potest dici materia, sicut sperma hominis, et homo albedinis. Sed in hoc differunt: quia illud quod est in potentia ad esse substantiale, dicitur materia ex qua; quod autem est in potentia ad esse accidentale, dicitur materia in qua. Item, proprie loquendo, illud quod est in potentia ad esse substantiale, dicitur materia prima, quod autem est in potentia ad esse accidentale, dicitur subjectum: subjectum enim dat esse accidenti, scilicet existendi, quia accidens non habet esse nisi per subjectum: unde dicitur quod accidentia sunt in subjecto, non autem dicitur quod forma substantialis sit in subjecto. Et secundum hoc differt materia a subjecto: quia subjectum est, quod non habet esse ex eo quod aliquid ei advenit, sed quod est per se, et habet esse completum, ut homo non habet esse per albedinem. Sed materia dicitur quod habet esse ex eo quod sibi advenit, quia de se esse incompletum, immo nullum esse habet, ut dicit Commentator in 2 de Anima. Unde, simpliciter loquendo, forma dat esse materię, accidens autem non dat esse subjecto, sed subjectum accidenti; licet aliquando ponatur unum pro alio, scilicet materia pro subjecto, et e contrario. Sicut autem omne quod est in potentia, potest dici materia, ita omne a quo habet aliquid esse, quodcumque esse sit illud, sive substantiale, sive accidentale, potest dici forma; sicut homo cum sit potentia albus, fit per albedinem actu albus; et sperma cum sit potentia homo, fit actu homo per animam. Et quia forma facit esse in actu, ideo dicitur quod forma est actus: quod autem facit esse actu substantiale, dicitur forma substantialis, et quod facit actu esse accidentale, dicitur forma accidentalis. Et quia generatio est motus ad formam, duplici formæ respondet duplex generatio: formæ